

IOANNES PALATINVS SIMMERIVS.



Ioannes filius fuit Ioannis Palatini Simmerensis. Hic à parentibus in omni genere uirtutum educatus, & præceptoribus traditus fuit, ut in bonis literis institueretur. Itaq; in ijs plurimū profecit, & postea patri in rerum gubernatione successit. Erat Ioannes rara prudentia & uitæ integritate prædictus. Itaq; Carolus Imperator in Augustanis comitijs inter alios principes etiam hunc Ioannem elegit 1530, cui Cameræ Imperialis reformatio committeretur. Id quod ipse sequenti anno in Aprili perfecit, atq; quid actum esset, in proximis comitijs Ratisbonæ Cæsari communicauit. Pari diligentia etiā reliqua Imperij negotia expediuit, & pacis studijs clarissimus extitit. Ipsam quoq; religionē amauit, & ut Christi gloria promoveretur, unicè curauit. Cum hoc modo multis uirtutibus conspicuus esset, tandem 1557 obiit, & Fridericum filium successorem reliquit, qui postea Elector Palatinus constitutus, etiam hodie in ijs locis rerum potitur. Io. Sleid.